



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

M. Ant. Mvreti Variarvm Lectionvm Libri XV

Muret, Marc-Antoine

Antverpiæ, M. D. LXXXVI.

Cap. 18. In bonorum comparatione dissensio inter Platonem & Aristotelem
indicata.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70864](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70864)

aliquid significat, quodque principem in re quapiam obtineat locum. Ter autem ad me legere memini. Primum in epistola qua C. Trebatium Testam commendat Caesari. nam cum eum multis laudibus affectisset, ad postremum addit. *Accedit etiam, quod familiam ducit, in iure civili singularis memoria, summa scientia.* quibus verbis significauit, hanc primam & praecipuam Trebatij esse laudem: ceteras ei cum multis fortasse communes: hoc esse ipsius paene proprium bonum. Deinde libro quarto De Finibus: vbi Catonem alloquens: *Sed primum illud, inquit, vide: grauissimam illam vestram sententiam, que familiam ducit, honestum quod sit, id esse solum bonum, honesteque viuere, bonorum suorum communem fore vobis cum omnibus, qui in vna virtute consistuunt sinem bonorum.* Et quinta oratione in Antonium: *Lucius quidem frater eius, utpote qui peregre depugnauit, familiam ducit.*

In bonorum comparatione dissensio inter Platonem & Aristotelem indicata. CAP. XVIII.

INTER multas ac varias bonorum diuisiones quae ab antiquis sapientibus accepimus, haec quoque tradita est. Bonorum parim suapte tantum vi expectantur, neque vsquam aliud referri: alia & per se, & aliorum causa, quae ex ipsis efficiantur: nonnulla etiam, cum in se nihil expectandum habeant, aliorum modo gratia amari. Primi generis est voluptas. neque enim eam propter aliud expectimus, ipsa per se, a quocumque sentiri potest, ei desiderium inuitur sui. in secundo ordine sensus collocari licet, quos & per se, & propter vitae commoditates diligimus. sed & valetudinis ac virium firmitates eundem in numerum coniici potest. Tertia, ut ita dixerim,

xerim, classis sunt laboriosa exercitationes corporum, sectiones venarum, adustiones quarundam partium, amarorum medicamentorum sumptiones. quæ omnia, & eodem de genere alia, eò tantum expetuntur, quòd ad aliud quippiam conducere putentur. Hac igitur tripertita distributione propòsita, vtri superiorum generum debeatur principatus, (nam tertium quidem in hoc se certamen non offert) nò conuenit inter principes philosophorum. Plato enim principio secundæ *πρωτεύου* Socratem ei generi, quod secundo loco posuimus, τὰ πρωτεύου adiudicantem facit. quod enim duobus nominibus expetitur, melius esse, quàm quod vno tantum. At Aristoteles à magistro dissentiens, id summè bonum esse definit, quod tantum propter se, nullo autem modo propter aliud expetatur. Finem enim omnium optimum esse. Itaque vt in quodque *ὁ τὸ τέλος* maxime conueniat, ita id optimum ac præstantissimum esse. Finis autem proprium est, cum ad eum pertineant cetera, ipsum nusquam aliò dirigi. Hunc nodum dissoluent ij, qui Platonem & Aristotelem vbiq; *συμπαροῦν* volunt. ego quidem, quid mihi tenendum sit, non valdè dubium habeo.

*De loco quodam ex Oratione in Pisonem, aduersus
Petrum Victorium. CAP. XIX.*

RECTE emendatus est locus Ciceronis ex Oratione in Pisonem, vbi de rationibus à Pifone ipso ad ararium relatis agitur, & Plautinus hic è Trinummo versus adducitur,

Ratio quidem hercle apparet: argentum ὀρχεῖ.
nam quod Budæus, deceptus corruptis antiquæ scripturæ vestigiis, putauit, legendum esse, *Ratio quidem hercle apparet: argentum decoctum ὀρχεῖ*: id ipsa carminis ratio